14/
CASS

RICHARD C. KESSLER
REFORMATION
COLLECTION

PITTS THEOLOGY LIBRARY
EMORY UNIVERSITY
MCMLXXXVII

LVCTVS ET TESTIMONIA ECCLESIÆ

quæ est in comitatu Mansfeldensi de obitu reuerendi viri D. Matthæi Iudicis.

Adiecta sunt.

EPITAPHIA

SANCTÆ MATRONÆ

ANNAE, VXORIS,

REVERENDI ET CLAriss: Viri D. Doctoris

Til: HESHVSII.

ISLEBII.

Excudit Vrbanus Gubisius.

ANNO.

1565.

CLARIS. VIRO D.
IOHANNI VVIGANDO
SACRAE THEOLOGIAE DOCTORI
Superintendenti VVismarienſi Hier:
Menecelius in Co: Mansfel. Su-
perintendens S. D.

NOn maius pietate bonum. at pietatis amantes
Semper in hoc mundo triſtia fata premunt.
Sic IVDEX VVigande tuus mala plurima paſſus
Pro CHRISTI profugus Nomine, & exul erat.
Ille ſed ingratis mundi ſublatus ab oris
Liber & à curis, Regna beata tenet.
Non dubito quin ſæpe gemas orbatus amico
Cuius ob meritum, nos quoq; flere decet.
Accipias igitur noſtram teſtantia mentem
Carmina & hæc ſolito conſulo more boni.
Ille tuus Iudex erat. Ergo tibi iſta dicantur
Illa legat tecum q̃ pietatis amans.
Si ſordent alijs CHRISTI q̃bus omnia ſordent
Nos decet illorum ſpernere iudicia.
Quæ collecta uolant totum monumenta per orbem
Quæ ſocio tecum ſcripta labore dedit
Quis fuerit iudex tandem, uentura docebunt
Secula, Iuditium rectius illa dabunt
Chriſte Deus Satanæ diros compeſce furores
Qui ſœuit miris in tua membra modis
Doctores defende pios, quos plurima pellunt
Regna, ſequuturis inijce frena malis.

EPITAPHIVM.

SANCTAE MATRONAE ANNAE VXORIS CLARISSIMI VIRI D. Doctoris Til. Heſhuſij ſcriptum, ab Hier: Mencelio in Co: Mansfel. Superintendente.

SAra ſuo comes eſt, per multa pericla Marito,
Sæpius exilij triſtia damna leuans.
Sic hæc Anna ſuo Heshuſio fida addita coniunx
Exuli, in exilijs dulce leuamen erat.
Nam ſi uirtutes animi, & pietatis amorem,
Si ſpectes priſcas, quæ decuêre nurus.
Nulli poſterior, nulli cruce cedet amara,
Sors ſimilis CHRISTI membra manere ſolet.
Nunc ea celeſtem patriam optatamq; quietem
Occupat, à cunctis libera facta malis.
Inter tot caſus mæſtum pie Chriſte maritum
Protege protector tu potes eſſe tuis.

IN OBITVM

M. MATTHAEI IVDICIS INSIGNIS THEOLOGI ET TRIVM PIENtiſſimarum matronarum uxoris D. Doctoris Tilemanni Heshuſij D. Matthiæ Illyrici & M. Ioannis Sagittarij paſtoris Friburgenſis, uirorum pietate, eruditione, zelo, confeſſione & cruce clariſſimorum, carmen M. Chriſtophori Irenæi.

Si

SI queris, cur morte pios, Deus euocet orbe
Rebus & humanis eximat innocuos?
Consule scripturæ relegens oracula sanctæ.
Quærentem uerax expedit Amozides
Eripitur Iustus, pacisq; cubile subintrat
Ne sit uenturi pars aliquotta mali.
Nec trepido cernat grassantes pectore pœnas
Quas sensura dolens, fex scelerata breui.
Transegit iustam tetro sine crimine uitam
Matthæus iudex uir pietatis amans.
Ipse bonas artes didicit studiosus ad Albim
Leucoreæ, studijs incubuitq; sacris.
Esset ubi præses celebrandus laude Lutherus
Et circa Christi pastor ouile uigil.
Magdburgi erudijt sobolem pietate tenellam
Artib: ingenuis morib. atq; bonis.
Contra obsessores urbis concluſus in illa
Pugnauit precibus, miles eratq; fide
Inde ministerio præfectus in æde sacrata
Huldrico, uerbi præco fidelis erat
Euoluit sanctos uigilanti mente libellos
Ac tua lustrauit scripta Luthere frequens.
Sparsit & in cathedra cœlestia dogmata Christi
Sincero cuius gramine pauit oues.
Fidus erat VVigande tibi Matthæus Aebates
Et tecum DOMINI, prælia gessit ibi
Inde uocatus abit Ienam, profitetur ibidem
Doctrinam magna dexteritate Dei.
Iuuit opus memori præstans contexere laude
Historicum, quo non dignius orbis habet.

Ad pompas proceres, sumptus confertis inanes
Superstis opus hoc prouehere usq; decet.
Pura suas laudes aliorum scripta merentur,
An syntagma satis quis celebrare potest?
Hoc etenim uincit sanctarum pondere rerum,
Hocq; superat bonos ordine quosq; libros.
Iudicio felix & dexter acumine Iudex,
Conueniunt rebus nomina sæpe suis.
Nouit enim uerum diuino cernere sensu,
Congrua sint sacris dogmata quæq; libris.
Nouit & occultas fratrum producere fraudes
Falsorum, scortum qui Babylonis amant.
Noxia doctrinæ passim contagia serpunt,
Turba paradoxis inficiturq; nouis.
Sense quibus sacro Iudex opponere sese
Non metuit, paruo corpore fortis erat.
Non metuit mundi, Stygij neq; principis iram
Impia taxauit dogmata, uera serens.
Non Neutralis erat nec Christi miles inermis,
Nec muto tacuit blandior ore canis.
Oderat Augustæ sit hyngem cane prius & augue,
Quæ fatale tenet nomen ab interitu.
Filia non unq̃ fallax Adiaphora matris
Corruptæ placuit, sit phalerata licet.
Retrogradus MAIOR repetens deliria PAPAE
Huic inuisus erat, publica scripta docent.
Ausus is Ἀναγκὴν operum miscere saluti
Acceptam ferimus quam tibi Christe, fide
πνεύματικῷ profugum gladio constanter adortus
Strigelium σόφα qui φασμακα uafer amat

Quiq;

Quiq; Philosophicis hominem depingere fucis,
Non cessatq; hærens extenuare malum.
Quiq; Synergiam pergit defendere fictam,
Quam psychico demit pagina sacra uiro.
Nec tua Stosseli glossemata picta probauit
Fermentum obductũ est, calliditate quibus.
Qui corruptelas damnaras ante nociuas,
Nunc colludendo iustificare studes.
Pestiferum uirus Caluini carpsit apertè,
In cœna Domini corpus adesse negans.
Ausonij carpsit peruersa καθαρματος ore
Dogmata, non metuit, sceptra, pericla, minas.
Impauide, typis repetens, exite remotus
Officio, exilij præmia dura tulit.
Præbet ei hospitium clementer consule Copo
Parthenope, at certam uix habet hora fidem.
Copus ubi regni dextras deponit habenas,
Rex noua sceptra geris, lex noua sceptra regis.
Quatuor ejectis carris ex urbe ministris
Parthenope, Iudex cedere iussus, abit.
Vuismariam tendens ubi tunc Vuigandus agebat
Pastorem uerbi, ritè uocatus eò.
Historicum perrexit opus contexere ceptum,
Otia defugiens sedulitate uigil.
Non cruce multiplici clypeum commotus & ensem
Abiecit, fortem ceu decet esse fidem.
Nec cuiq; suasit cœpta desistere pugna,
Iussit eam potius continuare senes.
Rostochium petijt Doctorib. inde creandis,
Nota quib. sancti Mystica sancta Dei.

Hic tecum VVigande graues in itinere miſcet
Sermones, ſubolens mortis adeſſe diem
Languida perpaucis decumbunt membra diebus
Mens precib, morbi tempore, tota uacat.
In DOMINO clauſit Iudex Matthæus ocellos
Commendans animam membraq; Chriſte tibi
Stercora & inflictum uirus tibi fœda relinquens
Mors ſunt, morſib. hæc fercula digna tuis.
Quæ fuit ipſa dies faſtis Concordia dicta
Lutherum nobis proh dolor eripuit
Triſtius omen erat cum quo concordia conſors
Eſt ſublata, ſuum nec tenet illa locum.
Hanc pepulit furijs atrox diſcordia triſtis
In patriæ ſummos mouit in arma duces.
Pectora ſunt diris odijs diſtricta potentum
Et quis conſenſus Relligionis adeſt?
Illa dies nobis rapuit quæ ſacra Sophiæ
Mattheum, Iudex tu Sophos acer eras.
Cæleſtis non parua quidem pars orbe ſophiæ
Ablata eſt, Iudex qua decoratus erat.
Cæleſtem uerbo pateſactam Chriſte Sophiam
Ne nobis miſeris quæ ſumus eripias
Te Iudex aliquot comitantur ad æthera Sanctæ
Matronæ ſummo, præcipiente Deo
Prima Tilemanni coniux ſuauiſſima cedit
Heshuſij terris aſtra beata petens.
Altera biſseno partu caſtiſſima conſors
Matthiæ Illirici cælica tecta ſubit
Tertia, iam lactans enixa puerpera prolem
Coſta Sagittari, ſancta reliquit humum.

Veſtros

Vestros magnanima comitatæ mente maritos
Extorres estis plurib. exilijs
Sara uelut patiens charum comitatur Abraham
Exul sæpe uagum quo tulit ipse pedem
Solamenq; mali lenistis mæsta uirorum
Damna sacris dictis suauiloquisq; sonis.
Amissas thalami socias lugetis Amici
Aspicitis mesti pignora charathori
Non mirum? sunt hæc per magna ardentis amoris
Signa, gemit carnem post sua fata caro.
Crux comitata crucem lachrimas extorsit amaras
In terra sanctis qui placuere Deo.
Extinctam tristis Saram defleuit Abraham
Saram, Fida fuit quæ comes exilij.
Non sine mœstitia lachrimisq; uidere Rahelis
Israel potuit funera mesta suæ.
Amissum charum plenus merore Iosephum
Prosequitur, lachrimis cui maduere genæ
Non tamen afflicti patres lachrimisq; madentes
Cessarunt firmo fidere corde Deo.
Quorum ut constantes imitari exempla uirorum
Possitis, Flatus uos regat ipse sacer.
Ex hoc ferre crucem iusto moderamine acerbam
Discatis, qua nos nunc premit ipse Deus
Quos amat omnipotens uarijs exercet in orbe
Aerumnis, natos corripit atq; suos.
Ecce pij calicem prægustant ore salutis
Irarum feces bibet perfida turba
Hæc uobis tandem dulcescent nubila postquam
Depulerit nebulas spiritus hasce sacer.

Triſtia terribiles caſus portenta minantur,
Portendunt plagas horrida ſigna truces.
Impendent rabido miſeranda pericula mundo,
Quæ Deus immittet ſanguine, peſte, fame.
O q̃ fœlices illi quos tempore tali,
Eximit humanis mors inopina malis.
Verè fœlices & terq; quaterq; beati,
In Domino quorum ſpiritus aſtra petit.
Tu quoq; nunc iudex fœlix uos treſq; beatæ,
Quos Deus eripuit omnib. ipſe malis.
Noluit omnipotens uos cernere triſtia bella,
Patria quæ plorans uiderit ipſa breui.
Nunc animæ ueſtræ nunc terq; quaterq; beatæ,
Ereptæ ærumnis cœlica tecta colunt.
Miraq; adorandæ Triados myſteria læti
Cernitis, Angelicos cernitis atq; choros.
Quis nunc uobiſcum non optet, quæſo beata
Luce frui in cœlo, uera ubi uita uiget.
Carpitis illuſtri cœleſtia gaudia mente,
Sed nos hic miſeri turba relicta ſumus.
Attamen hæc eadem carpemus gaudia quondam,
Cum nos eripient fata ſuprema malis.

ALIVD, SCRIPTVM à THOMA VRSINO PASTORE ad D. Annam.

Vt referunt uarias cœleſtia ſidera formas,
Quæ ſub luce poli candidiore micant.
Pingitur ut campus paſſim redolentibus herbis,
Quæ uirtute ſua corpora ſæpe fouent.

Sic

Sic Germanorum regio est ornata coronis
Doctorum, nemo quos numerare potest.
Hinc meritò laudes grata tibi mente canantur,
Vt semper cumules hæc tua dona Deus.
Hos inter IVDEX noster referatur amicus,
Iudicio scimus quem ualuisse pio.
Maluit amplecti doctrinam hoc tempore ueram,
Quàm nugas simul & dogmata falsa sequi.
Arsit & immensum facilis conferre laborem,
Historiæ sacræ ut conficeretur opus.
Quæ non perpessus magno uir dignus honore?
Sed nil esse pium, nil iuuat esse bonum.
Attollunt frontem spargentes somnia uana,
Et negligunt ueri iussa tremenda Dei.
Verum quid faciat mundatus sanguine Christi,
Ne subeant animo tædia iusta pio?
Dimittat mundum, faciat quod proderit, ipse,
Perstet, & insuetus quæcunq; ferenda ferat.
Pro quibus officijs precium tunc dulce rependet
Christus, cum faciet tartara adire malos.
Gratuitam, est uirtus, homines docuisse salutem,
Quòd si crux comes est, hoc pietatis erit.
Optima militia est sœuis obsistere telis
Infensi Sathanæ, terrificisq; minis.
Hinc si quæ ueniunt lachrimæ tristesq; ruinæ,
Officij nostri sit, retinere fidem.
Quis dubitet nunc hæc dici de IVDICE posse?
Quid non promeruit? Credite, sanctus erat.
At mors eripuit nobis hoc tempore tantum,
(Nonne hæc lugendi maxima caussa) uirum

In Christo uiuit, patrijs licet exulet oris,
Nunc ueram patriam possidet ante Deum.
Expectat Iudex Iudex æquissimus ille,
Dum reddat facti premia cuiq; sui.
Interea exanimum corpus licet usq; quiescat,
Inuida mens prauo ganniet ore tamen.
Sed uenies IVDEX cum IVDICE morte soluto
Emoderans recto singula iudicio.

ELEGIA DE EXVLANTIB. CHRISTI MARTIRIB. SCRIP. TA A M. A. THEOBALDO MARchiano uerbi ministro Islebiæ.

QVis dotes, linguas, artes, studiũ atq; labores,
Ingenij laudes, explicuisse potest?
Queis doctis etiam potuit precellere multis
IVDEX qui clarum nomen & omen habet.
Qui fuerint mores, pietas, quis candor, honestas
Mentis & integritas, & sine labe thorus.

Et quos sermones, sacris exfontibus haustos,
Protulerit sacro, sedulitate gregi.
Nunc tibi Parthenopes schola, nunc tibi Iena docẽdo
Et toti mundo, qui monumenta dedit.
Quæ semper præstant, mestæ solatia menti
Qui leget hæc fructu non perunte legat.
Nam uarijs possunt obnoxia pectora curis,
Asperaq; arcanis sacra leuare modis

Iusta

Iusta quis expediet facile quæ fulmina rursum,
In turpes homines, torserit atq; malos.
Nobile qui Christi uicijs prætexere nomen,
Et Curios (Bachi gens) simulare sciunt.
Inq; leues animos, miscentes sacra Prophanis,
Et cauponantes, Relligionis opus.
Qui sanctum nostro, corrumpunt tempore cultum.
Atq; fidem euertunt, Iuraq; sacra Dei.
Mox quibus est rectum curuum, curuum quoq; rectũ
Sic præsens certam, uix habet hora fidem,
Frigida nunc illis calida, atq; calentia rursum
Frigida sunt, res ut temporaq; ipsa ferunt.
Actaq; testantur quod nigrum in candida uertant
Et carbone simul, candidaquæq; notent.
Vera nimis cecinit sacer ore, & pectore uates,
Vatidico referens, talia uerba sono.
Sunt homines, recti, quorum mens constia, rectum
Iniustum dicit, iustificatq; malum.
Turpe quidem dictu, rescindunt tota priora.
Sic faciles linguas, erudiere suas.
Hos diuus Petrus canib: componit aduſq;
Quos iuuat ad uomitus isse, rediisse suos.
Sic itidem porci mundati flumine largo,
Cisternas repetunt (stercora fœda) suas
Prœuaricatores Paulus quos nominat omnes,
Qui tollunt rursum, quæ posnere prius.
Hi passim diui post tristia fata Lutheri,
Carpunt, conuellunt, optima queq; simul,
Mordacem sœnum durum, semper capitosum,
Moro sum, austerum difficilemq; uocant.

Collegas

Collegas ueluti, seruos pressisse Tyrannum,
Quos uidit sectis, cedere multa malis.
Istis omne tulit punctum, qui temporisare,
Et uento uestes, exposuisse potest.
Nec pudet interdum tales hos ædere uoces,
Exemplo Paulum, sic docuisse suo.
Omnibus hunc dicunt (uelut ipse ait) omnia factum,
Nunc his, nunc aliis se uariasse modis.
Gentibus hic sese, Iudeis applicat istic,
Sic istic Paulus, frigus & æstus erat.
Hos tacuisse iuuat, si quis blasphemus, & hostis
Audax, hæreticus dogmata falsa serit.
Delapsum hunc cœli, credunt exaxe modestum,
Hic ut semideus, suspiciendus erit.
Talis collapsas res saluat, scilicet, ille
Omnia cedendo, restituisse potest.
Amnistia placet, sed quosdam displicet esse,
Qui sese sectis, opposuere suis.
Velle aliquis dixit (uelut ipse his auribus hausi,
Tu mecum coram, docte Vuigande simul.
Quæ passim admittunt homines peccata nephandi
Stringere duntaxat, se genus haud speciem
Inde licet discant, quæ sint fugienda maligna.
Sic sum pastoris, munere functus, ait.
Hæc est peruersi, natorum regula mundi,
Quaq; Prophetarum candida turba, caret.
Hos IVDEX hic noster Ecebolios, poly posqi-
Vertummos, protheos, agmina clauda, petit.
Errores monstrat, Tyrio quasi murice tinctos,
Sublatis fucis, omnia clara facit.

Et

Et cupit authores, summa pietate retractos,
Ad mentem sanam, qui mala tanta ferunt.
Et uelut Aegides, comitantia fila ministrat,
Vt possint tuto, sic remeare uiam.
Et preceptoris, constanti mente Lutheri,
Asserit, atq; eadem dogmata uera canit.
Nec tumidam metuit, qui frendeat ullius iram,
Maiestatis eum, gloria nulla mouet.
Nec patri parcit, uel si reuerentior alter,
Preceptis animum, qui prius erudiit.
Instituere etenim nos sub iuuenilibus annis,
Cum nondum informi pectore sensus erat.
Gratia nec fructu, potuit maiore referri,
Errantes rursum, q̃ reuocare uiros.
Non igitur metuit, dum magnis magna rependit,
Gratiaq; hæc tanto, digna labore fuit.
Incussere metum, nec clara insignia, si quis
Doctoris magni, nomina celsa gerat.
Seu quicunq; esset spectabilis, alter ab illo,
In magno uincit, pectore magna fides.
Sub pedibusq; premit, quæcunq; pericula mittit,
Qui capere arma, sacra pro pietate iubet.
Non odia ulla mouent, magnorum uue ira potentum,
Et nihil hic Cæsar, nobilitasq; ualet.
Qualiter in Pelago rupes, ueniente fragore,
Contemnit uasti, murmur inane maris.
Bartholus, & Baldus non mentem flectere possunt,
Quo minus in propria, sit statione tenax.
Hic Iudex Hector fuit, & benè fidus Achates,
Nestor & inuicti, miles Achillis erat.

Senius

Quiquæcunq; docet ſacris probat omnia dictis,
Et corruptelis, non ſinit eſſe locum.
Hunc amat, hunc reliquis ſpretis, ſibi diligit unum,
Hoc ſotio prodit uoce ſonante lupos.
Præfectum ſiquidem paſtorem nouerat utſit
SAL, CANIS atq; latrans, & VIGIl atq; Tuba
Dicendum uerum, ſenfractus corruat orbis,
Quid noceat, Chriſto uiuere ſiue mori?
Militiæ ſocios habuit, fortiſſima bello
Pectora queis placuit, bellica caſtra ſequi.
Flacius hos inter medius quem turba Lutheri,
Muſæus, Gallus, tuq; VVigande ſubis.
Hinc alij Schneppus Sarcerius, & Tilemannus,
Qui ſemper ſummo, dignus honore fuit.
Hinc quoq; Morlinus, uita digniſſimus hæros,
Et quos longa mora eſt, enumerare uiros.
Quidquid habent ſalui iam Saxones, oraq; pingui
Tyrigetum, Arctoo & littore Roſtochium.
Quotquot habet medijs, Mansfeldia clara Cheruſcis
Doctores, unà miſtica bella gerunt:
Sic ſemper ſemen ſacrum, nos colligit inter,
Sinceroſq; aliquos, ſeruat alitq; deus.
Sunt aliqui Cætus, ſunt certa examina quæ non
Turpiter errorum dogmata falſa probant.
Nec genua aute Baal flectunt uenalib. aruis
Aut queſtu turpi, pro meretrice ſedent.

Quæ fortuna uiros, meritis protalib. inde
Excipit? & quæ nos præmia tanta manent?

Senius